

CAPIT. VI.

*Quod Rebelles non recipiantur in
aliquo Territorio.*

Item, præfati Oratores, Commissarii, Procuratores & legati dicti Domini Archiducis, & pro eodem Archiduce, ac ejus nomine: hæredumque & successorum suorum Oratoribus, Commissariis, Procuratoribus & Legatis dicti Illustrissimi Regis Angliæ, & pro eodem Rege & nomine, ejusque hæredum & successorum suorum stipulantibus, palam & expressè promiserunt: quod nullus Rebelles præfati Illustrissimi Regis Angliæ, ejusque hæredum & successorum, in aliqua castra, oppida, villas, portus, districtus, vel alia loca, quæ Illustrissima Domina Margareta, Illustrissimi Domini Caroli Ducis defuncti, relicta, aut aliqua persona cujuscunque status aut dignitatis existat, infra patrias, Dominia & terras dicti Domini Archiducis, jure Dotalitio, vel alio Titulo quocunque, habet, tenet seu possidet, aut in aliquod de cætero recipietur, nec per eam, aut per aliam quamcunque personam, recipi permittetur aut tolerabitur: nec alicui hujusmodi Rebeli in locis prædictis, aut aliis quibuscunque in navibus, gentibus armorum, pecuniis, viqualibus, aut alio quocunque modo, concilium,